



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Ordinis Sacramento Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXI. Argumentum. Nominis Subdiaconi significatione exposita, tria de Ordine Subdiaconatus probantur. I. Ejus existentia in primitiva Ecclesia. II. Ejus institutio facta â Christo Domino, ob ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94570)

Altaris ante gradus, dum transeunt, in tanta distantia, ut Diaconum incensantem Sacerdotem, non impedian. X. Dum cantatur Symbolum, vel stent, vel sedeant Acolythi, ut dictum est, sed genuflectant, dum cantatur versus *Et Incarnatus est*; & eo finito, habeant paratam burfam cum corporali exhibendam Diacono, ut illud explicet in medio Mensæ. XI. Completo Symbolo ponant velum longum in humeros Subdiaconi, (ab eodem illud ablaturi ad finem *Pater noster*) & dent ei Calicem cum Patena, & Hostia deferendum in Altare; deinde iidem Acolythi dent ministris paratis ampullas cum vino, & aqua, ut illud, & illam fundant in Calice, & ab iisdem illas recipiant deferendas ad Credentiam; & notent ipsi Acolythi, quod neque osculari debent ampullas, neque manum Subdiaconi, aut Diaconi; siquidem res, & manus osculatur solummodò, quando celebranti porrigitur ex Gavanto *tom. 1. part. 2. tit. 7. num. 9.* & ex Bissio *Verb. Acolythi num. 103.* XII. Completa incensatione oblaturum, & cum ipse Celebrans fuerit à Diacono incensatus, duo Acolythi debent ministrare aquam eidem celebranti ad lavandas manus; unus scilicet eam infundendo; alter verò mappulam ad abstergendos digitos Celebranti, cum debita reverentia, porrigendo; caveantque ne aquam pelliculæ in pavimento penes Altare projiciant, nam vel in aliquo catino, vel alio loco honesto est projicienda. XIII. Intorticia accensa deferant Acolythi ad elevationem, genuflectentes utroque genu vel ante infimum gradum Altaris cum debita distantia; vel duo in cornu Evangelii, duo autem in cornu Epistolæ facie ad invicem versa. Si intorticia magna sunt valdè, ea tenent recta adhærentia pavimento. Si valdè magna non sunt, dum elevatur Hostia, & Calix, & ipsi eadem aliquatenus elevant. Completa elevatione Calicis, surgunt, & deferunt intorticia in Sacristiam, nisi Missa esset pro Defunctis, vel nisi facienda esset communio Cleri, vel populi post Communionem Sacerdotis; tunc enim stare debent sic genuflexi cum intorticiis, donec finita sit Communio. XIV. Ad Communionem celebrantis Acolythus iterum deferat ampullas cum vino, & aqua ad Altare, eas porrigens Subdiacono pro purificatione Sacerdotis, & exinde eas deferat ad Credentiam, nulla facta genuflectione, sed tantum debita cum reverentia. XV. Dum celebrans daturus est benedictionem, Acolythi genuflectunt apud Credentiam, & eam devotè recipiunt, deinde surgunt, & sumunt de Credentia candelabra cum candelis accensis, & procedunt ad Altare, atque ante infimum illius gradum se locant, hinc inde omnium potestremi; & cum Celebrans finierit Evangelium, facta genuflectione redeunt ad Sacristiam, ordine quo venerant, scilicet præcedentes Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, ac alios Ministros paratos. Hæc pauca scripsisse sufficiat, pro aliqua instructione Acolythorum in eorum ministerio, qui multò plura scitu necessaria reperient apud Gavantum in *Rubric. Missal. tom. 1. part. 2. Michaelem Baudry in Manuali Sacram. Cerem. part. 1. cap. 14. Andream Castaldum in Praxi Ceremon. lib. 1. sect. 3. cap. 8. & sect. 5. per totam*, in qua agit de Acolytis servientibus Episcopo celebranti. Et apud P. D. Bernardum Bif-

sum Monachum Congregationis Cassinensis S. Benedicti, in recenti eruditissima sua Hierurgia, Rei scilicet Divinæ peractione, in *Verb. Acolythi, & in V. Ceroferarii*; ubi cumulat, quæ ad hujus Acolythatus Ordinis officium spectant.

Duo Corollaria nec omittenda, nec ignoranda veniunt. Unum est, an Acolythi, qui officium suum solemniter exercent, vel in Vesperis, vel in solemnibus Missa, ut supra notatum est, sed reperiuntur culpa mortali gravati, peccent mortaliter? Negative respondet Cabrera, quem citat & approbat Diana *Coordinatus tom. 2. tract. 5. resol. 119.* desumpta ex Veteri ejus opere *p. 3. tract. 4. resol. 95.* ex ea minus pia opinione, quæ nulli sapientiorum tum Theologorum, tum Canonistarum arridet, quod minores Ordines non sint Sacramenta, contra quam & DD. & auctoritates collegimus supra in *Decif. VI. à numer. 25.* & *segg.* Item ex eo quod admittendo Acolythatum esse Sacramentum, adhuc ejus ministerium, & officium non videtur perfectum in genere mysterii sacri, & reputari potest levis materia. Ratio evidenter insulsa; scriptum est enim, *Mich. damini, qui fertis Vasa Domini, Isa. 52. 11. & ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Psal. 130. 6.* Quapropter hujusmodi Acolythum ministrantem in peccato mortali mortaliter peccare responderunt ex Scholasticis Faber *de Sacram. Ord. in 4. Sent. dist. 24. q. 1. disp. 1. cap. 3. num. 80.* qui citat Angelum, & Sylvestrum; & ex Canonistis Navarrus in *Manuali cap. 27. num. 163.* & fusiùs de *Horis Canonici cap. 7. num. 41.* quorum doctrinam nemo timorare conscientie despicitur est enim magna Dei injuria, ut minister ingrediatur Sanctuarium, & se approximet Altari, etsi immediate in eo non ministret, cum sit inimicus Deo, animam habens mortali culpa foedatam. Utique cuicumque Clerico inservienti in Ecclesia ex officio debet esse cordi monitio illa: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine. Psal. 25. 6.*

Secundum Corollarium est; quod tum Acolythatus, tum alii tres minores Ordines conferri possunt tam in Missa, quam extra Missam, dummodò tamen conferantur de manè, ut expressum habetur in Pontificali Romano sub *Rubric. de Collat. Ord. Minor.* & notat Bissus in *cit. Verb. Acolythi num. 119. §. 3.* ubi advertit, quod si quatuor minores Ordines conferantur in Missa habente septem lectiones, seu Epistolas, Ostiarius conferendus est post primam Epistolam, Lectoratus post secundam, Exorcistatus post tertiam, & Acolythatus post quartam. Quod si Missa unicam tantum habeat Epistolam, omnes prædicti minores Ordines, & eorum singuli dandi sunt post recitationem *Kyrie eleison.*

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Nominis Subdiaconi significatio expostita, tria de Ordine Subdiaconatus probantur. I. Ejus existentia in primitiva Ecclesia. II. Ejus institutio facta à Christo Domino, ob quam est Sacramentum. III. Ejusdem Ordinis Subdiaconatus denominatio, & reputatio inter Majores, & Sacros ob tres præ-

præcipuas causas. Varia objecta proponuntur, ac evacuantur circa prædictam denominationem; & quid de Subdiaconatu Græci sentiant, demonstratur.

SUMMARIUM.

- 1 Ordines alii majores, & sacri; alii minores, & non sacri.
- 2 Ratio hujus divisionis.
- 3 Subdiaconi Vox quid denotet, & unde sumpta?
- 4 Nathinæi in lege Mosayca figurabant Subdiaconos.
- 5 Subdiaconi instituti à Christo Domino.
- 6 Apostolorum Canones an sint indubie Auctoritatis?
- 7 S. Clemens Papa nominat Subdiaconos.
- 8 Item S. Ignatius Martyr.
- 9 Et S. Fabianus Papa, & Martyr.
- 10 Item S. Cornelius, & S. Cælius Romani Pontifices.
- 11 Et S. Sylvester Papa.
- 12 Ac Concilium Carthaginense IV.
- 13 Nec non Leges Imperatorum.
- 14 S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, & alii Pontifices.
- 15 Cabassutii conclusio de septem Ordinibus.
- 16 Mysteria Fidei fundantur in Scriptura Sacra, & in Traditione Apostolica.
- 17 Subdiaconatus Ordinem esse Sacramentum, probatur ex Concilio Florentino, & Tridentino. & n. 18.
- 19 Determinatio una respiciens plura, ea æquè terminat.
- 20 Subdiaconatum non esse institutum à Christo, propositio est de hæresi suspecta.
- 21 Conciliorum generalium Auctoritas eadem cum Evangelio.
- 22 Sapientiam CHRISTI offendit, qui negat, omnes Ordines non esse ab eo institutos.
- 23 Ordinum multitudo in Ecclesia ob tria? Et quæ?
- 24 Eucharistia in obsequium septem Ordines à Christo instituti.
- 25 Christus quæ sit locutus. Apostolis per dies 40. post Resurrectionem?
- 26 Ordo dicitur Sacer dupliciter.
- 26 Continentie lex semper fuit annexa Subdiaconatui.
- 28 Cap. A multis. De Ætate, & Qual. declaratum.
- 29 Subdiaconatus quando inter majores Ordines collocatus?
- 30 Chorepiscopi an ordinarent Subdiaconos?
- 31 Sacra duo apud antiquos. Et quæ?
- 32 Vasa sacra an Subdiaconi tangere possint?
- 33 Græcorum cæremonia in deferendo pane, & vino ad Altare in Missa.
- 34 Græci vocant Subdiaconatum Ordinem minorem.

Doct. Clericati Tom. II. Lib. V.

Principalis est divisio Ordinum apud Canonicos, & Theologos, quod alii sunt Minores, & non sacri; alii vero Majores, & sacri, cap. Nemo. 32. dist. cap. Miramur, de Servis non Ordin. cap. 1. de Filiis Presbyt. in 6. in quibus textibus expressa mentio fit prædictæ duplicis denominationis, quam repetit etiam Concilium Tridentinum sess. 23. de Ref. cap. 5. 6. & 8. Hæc autem divisio, & diversa denominatio non procedit ex eo, quod asserere voluerunt nonnulli Theologi, (moti auctoritate Gratiani in princ. dist. 21.) minores Ordines non esse à Christo Domino institutos, sed ab Ecclesia; siquidem hæc assertio fuit rejecta, & profligata supra Decis. VI. in opinionione quarta; sed quia majores Ordines, qui sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, specialiori ratione reddunt homines sacros, cum eos admittant ad pertractanda majora ministeria, & ad ea, quæ sacratiora sunt, pertingenda, ut bene notat Gonzalez in Commentar. cap. A multis, 9. De ætate, & qualitat. num. 3. omnes enim Ordines, attenta eorum institutione, sacri dici possunt, & personam sacerdotis, cui conferuntur, ut legitur in cap. 1. dist. 77. Igitur cum hucusque egerimus de Ordinibus minoribus, & non sacris, & principales quæstiones, ad eos attinentes, fuerint explicatæ, transeundum est ad exponendos Ordines majores, & sacros, inter quos primum locum in ascendendo, obtinet Subdiaconatus; & ideo de eo videbimus tria.

1. Quando inceperit Ordo Subdiaconatus?
2. An Subdiaconatus Ordo sit Sacramentum?
3. Quando cœperit vocari Ordo Sacer, & inter majores reputari?

Quod ad Primum. Subdiaconi Latine, Græcè vocantur Hypodiaconi; id est subiecti, & ministri Diaconorum, iisdem enim subjacent, & oblationes à fidelibus datas Diaconis deferunt, ut eas Altaribus superponant. Magrius in Verb. Subdiaconus, col. 2. & hæc vox desumpta est à vocabulo græco Hypobole, quod significat Subjectionem, ut notat Laurentius in Amalthea Onomast. Verb. Hypobole, & Magrius ubi supra; subdens, hunc Subdiaconatus Ordinem institutum esse in Ecclesia Catholica loco Nathinæorum Legis Mosaicæ, quorum officium erat deferre Levitis, & ad eosdem deferre Ligna, & Aquam pro usu Sacrificiorum; ut demonstravi in meis Decisionibus de Sacrificio Missæ Decis. XXIV. à num. 22. & seqq. Ubi ex Josepho lib. 5. Antiquit. cap. 1. § 2. & ex Torniello ad Annum M. 2545. ac ex Sallustio ad Annum M. 2584. eorumdem Nathinæorum historiam narravi. Idem docet Bissus in Hierurgia Verb. Subdiaconus n. 194. ostendens Nathanaëlem, de quo Jo. 1. fuisse Nathinæum. Ipsi autem Nathinæi non absque fundamento figurant Subdiaconatus Ordinem, qui tertium locum tenet in Altari, siquidem Nathinæi tertio Ordine ponuntur in Scriptura Sacra, ut legitur 1. Paralipom. 9. 2. ibi: Et Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi. Et repetitur 2. Esdr. 11. 3. Hujusmodi autem Subdiaconatus Ordo cœpit à primis Ecclesiæ incunabulis, tanquam à Christo Domino institutus, ut ex sequentibus probationibus, & testimoniis, fit manifestum.

Primò

Primò ex Canonibus Apostolorum, ex quorum jussu, & mandato censentur pro bono regimine Clericorum conscripti: in eis enim ita legitur in Can. 41. & 42. quos Gratianus retulit in cap. Episcopus, 35. dist. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus alea, atque ebrietatis deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Existebat igitur Subdiaconatus Ordo Apostolorum tempore; de quo, ut supra, mentio expressa habetur. Scio, Caballutium in Notitia Ecclesiastica Secul. I. pag. 8. dubiam reddere auctoritatem, & fidem horum Apostolicorum Canonum, sed ipsemet subdit, primos quinquaginta haberi legitimos, etsi reliqui, ut plurimum, reputentur apocryphi, idèd. que ibidem illos transferibit. Idem advertit Emin. Card. Bellarminus de Scriptorib. Eccl. in cit. de S. Clemente Romano Ann. 92. sed ibidem Vers. At contra, ita loquitur: Sed hec conciliari possunt, si dicamus, Canones legitimos esse solum quinquaginta priores: reliquos non esse legitimos, quamvis à Græcis recipiantur. Idem exprimitur in cap. Clementis librum. 16. dist. testaturque Turrianus lib. 1. pro Epist. Decretal. cap. 15. Hincmarum scripsisse, Canones Apostolorum, ab Ecclesia nobis traditos esse solum quinquaginta; de quibus etiam meminit Tertullianus in lib. advers. Praxeam. S. Athanasius in Synopsi, & S. Jo: Damascenus de Fide Orthodoxa lib. 4. cap. 18. idèd. debet reputari legitimus, & agiographus præcatus Canon. 42. nominans Ordinem Subdiaconatus.

Secundò probatur existentia Ordinis Subdiaconatus ab initio Ecclesiæ ex libris Constitutionum Apostolicarum scriptis à S. Clemente Papa, qui fuit Divi Petri discipulus; ipse enim in lib. 8. cap. 11. recenset eundem Subdiaconatus Ordinem sequentibus verbis: Diaconi stent ad januas, quibus viri in Templum ingrediuntur: & Hypodiaconi ad januas, quibus mulieres, ne quis egrediatur, neve aperiatur janua tempore oblationis, quamvis sit aliquis fidelis. Unus autem Hypodiaconus ministrat aquam Sacerdotibus ad lavandum manus &c. S. Clementem fuisse discipulum Principis Apostolorum, & ab eo edoctum quæcunque gubernium Ecclesiasticæ Hierarchiæ concernebant, nemo est, qui audeat negare; fuit enim ab ipso ordinatus Sacerdos Anno Domini LVII. ut ad eundem Annum Emin. Card. Baronius affirmat; & quantæ auctoritatis sint, & semper fuerint prædictæ Apostolicæ Constitutiones per S. Clementem conscriptæ, pluribus argumentis, & testimoniis probat Franciscus Turrianus in Proœmio ad illas; ita ut nefas sit dubitare de veritate supradictorum verborum, in quibus Subdiaconi nominantur; quorum officium inter cætera tunc erat; custodire januas Templi, nempe Sacrii, seu Sanctuarii, ut infra ostendimus Decif. XXIV.

Tertiò: Eadem existentia probatur ex testimonio Sancti Ignatii Martyris Episcopi Antiocheni, qui sedere coepit in ea Cathedra post S. Petrum, & post S. Evodium Anno Domini LXXI. ipse enim in Epistola ad Antiochenos, (quæ in Bibliotheca Patrum est duodecima) ita concludit: Saluto Sanctum Presbyterorum Collegium: Saluto Sacros Diaconos: Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorci-

cistas &c. Utique non salutasset Hypodiaconos; nisi hi eo tempore fuissent in ea Ecclesia ordinati: & quoniam prædicta Ecclesia fundata fuerat à Divo Petro Apostolorum Principe, & ipse illam rexit septem continuos annos, ut differit Emin. Card. Baronius ad Annum 39. numer. 8. manifestum est ab eodem Apostolo omnes gradus Ordinum fuisse in usu positos, sicut à Christo Domino didicerat, & sibi fuerat injunctum; & in eadem Ecclesia Antiochena alios Clericos promovisse ad minores Ordines, alios ad majores; sicque inter cæteros ordinasse etiam Subdiaconos; quarum ordinationum exemplum sequuti S. Evodius, & S. Ignatius discipuli ipsius Divi Petri, & in eadem Cathedra Antiochena Successores, continuaverunt promotionem Clericorum ad omnes gradus Ordinum; ac proinde ad Ordinem Subdiaconatus.

Quartò Ex Epistola prima Sancti Fabiani Papæ, & Martyris, qui Apostolicam Sedem ascendit Anno 238. in ea enim ita scribit: Septem ergo Diaconos in Urbe Roma per septem regiones Civitatis, sicut à Patribus accepimus habemus: qui per singulas hebdomadas, & Dominicos dies, atque festivitatum solemnias, cum Subdiaconis, & Acolythis, ac sequacium Ordinum ministris, juncta sibi observant ministeria, & parati omni hora sunt ad Divinum Officium, & quicquid eis injungitur, peragendum. Existebant ergo Subdiaconi una cum aliis ordinatis tum in majoribus, tum in minoribus, in illo tempore; & ut ait S. Fabianus, sicut à Patribus accepimus, idèd. non ex nostra inventione, seu institutione; sed juxta observantiam, & praxim prædecessorum Romanorum Pontificum, ac ipsius Petri discipulorum.

Quintò: Ex alia Epistola S. Cornelii Papæ; qui successit in Apostolicam Sedem eidem Divo Fabiano Anno 254. scribens enim Pontifex iste ad Fabium Antiochenum in ea ita loquitur. In hac Ecclesia Catholica non ignorabat (Novatianus Antipapa, & hæreticus) Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythis quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores, una cum Ostiariis quinquaginta duos. Concor dat S. Cajus factus Papa Anno 283. qui in Epist. ad Felicem, nominat omnes septem gradus Ordinum, & eadem habetur in cap. 1. dist. 77. De eodem S. Cajo narrat Bollandus tom. 2. die 2. Januæ. quòd ordinavit Marcum, & Marcellanum Diaconum, Tranquillinum eorum patrem Presbyterum, & alios plures Subdiaconos. Itaque existebant Subdiaconi simul cum aliis majoribus, & minoribus Ordinum gradibus tempore horum Pontificum.

Sextò: Ex Concilio Romano habito per S. Sylvestrum Papam Primum, tempore Constantini Imperatoris, Anno scilicet Domini 325. in quo per plures Canones multa habentur spectantia ad omnes gradus Ordinum, & in specie ad Subdiaconos.

Septimò: Ex Concilio Carthaginensi IV. relato in cap. Subdiaconus, 23. dist. in quo Can. 5. ita fuit statutum: Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, manile, & manutergium. Fuit autem celebratum prædictum Concilium, ut sæpe jam dictum fuit, Anno 398.

Octavò:

Octavo: Ex Legibus Civilibus Imperatorum Valentis, Valentiniani, & Gratiani, qui eodem saeculo, & parum ante tempus Concilii Carthaginensis IV. praedicti principabantur; siquidem
 13 in l. Presbyteros 6. c. de Episc. & Cleric. ab iisdem promulgata pro immunitate personalium onerum, omnibus Clericorum gradibus tributa, nominantur tam majores, quam minores Ordines, & disertè dicitur eandem immunitatem competere Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, & Acolythis. Ergo Subdiaconi tunc existebant.

Nonò: Ex scriptis SS. Augustini, & Gregorii Magni, qui frequenter loquuntur de Subdiaconis; & referuntur in cap. Nullum, dist. 28. cap. Subdiaconis, 32. dist. & cap. Subdiaconus, 24. qu. 1. prout etiam ante hæc tempora ex Epistolis S. Leonis, Innocentii II. & Urbani II. Summorum Pontificum in cap. Decernimus, cap. Eos, qui, & cap. Omnium, 32. dist. adeo ut per integra quinque saecula habeantur probationes concludentes omnium septem graduum Ordinum; & de iisdem subsequenter saeculis creverint SS. Patrum testimonia; inter quæ illud S. Isidori Episcopi Hispalensis, qui migravit in cælum Anno 636. & inter alia sua opera, quæ scripta reliquit, in Epistola ad Ludifredum. De Episcopis, & aliorum Clericorum in Ecclesia officio egit de ministerio omnium graduum Ordinum, inter quos de Subdiaconatu; ut videre est in cap. Perlectis, 25. dist. quod est desumptum ex prædicta Epistola.

Decimò: His attentis optima est conclusio Joannis Cabassutii in Notitia Ecclesiastica Secul. 2. Differt. 9. num. 1. his verbis expressa: Septenarium Ordinum Ecclesiasticorum numerum penes Latinas Ecclesias jam inde à primis saeculis invaluisse planè compertum est: Presbyterorum scilicet, sub quibus Episcopi comprehenduntur, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum: hos enim cunctos recenset Clemens Papa discipulus Petri Episc. 2. ad Jacobum fratrem Domini; & Cornelius Pontifex in Epist. ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. cap. 42. Item Cajus Pontifex in Epist. ad Felicem; cujus etiam meminit Damasus Papa. Concilium etiam sub Sylvestro Can. 3. Item Laodiceum Can. 24. & Carthaginense IV. Can. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. cui subscribit Augustinus Hipponensis Episcopus, atque (ut mediorum temporum testimonio fideam) novissimè Concilium Tridentinum sess. 23. d. Sacram. Ord. cap. 2.

Sed objiciet aliquis: De Subdiaconatu nulla habetur mentio in Scriptura Sacra. Ergo Subdiaconatus non fuit ab initio Ecclesiæ. Respon-
 16 detur, falsam esse consequentiam. Ratio est, quia mysteria fidei non fundantur solummodo in Scriptura Sacra; sed etiam in Apostolica traditione, & Ecclesiæ Catholicæ declaratione. cap. Catholica, 11. dist. Idcirco etiam in Scriptura Sacra non habeatur expressa mentio Subdiaconatus, aliorumvè minorum Ordinum, de iis tamen mentionem fecerunt Apostolorum discipuli, ut S. Ignatius Martyr, S. Clemens Papa; & alii, quibus ab Apostolis traditum fuit, institutos fuisse à Christo Domino omnes septem Ordines; eosque omnes fuisse collatos ab Apostolis ipsis, & esse pro tempore in Ecclesia conferendos pro complemento, & ornamento Ecclesiastica Hierarchiæ;

Doct. Clericali Tom. II. Lib. V.

cujus traditionis vigore omnes Episcopi in primitiva Ecclesia eosdem septem Ordines suis Clericis contulerunt; & in ipsorum collatione in tota Ecclesia semper fuit continuatum. Ita Emin. Cardin. de Lauræa de Sacram. Ord. disp. 6. num. 11. & 12. Et concordat Tirinus in Indice Controvers. Fidei controvers. 2. num. 18. ubi de auctoritate Verbi non scripti, Traditionum scilicet Apostolicarum nervosè agit; & in Comment. ad 1. Cor. 16. 2. ex Traditione Apostolica ostendit, fideles cœpisse in primitiva Ecclesia servare diem Dominicam festivam loco Sabbati; & subdit ex prædicto exemplo: Unde optimè consequitur, non omnia scripta esse, quæ servari jusserunt Apostoli; sed quædam viva voce tradita; quæ jam Traditiones Apostolicæ vocantur; & æqualis sunt auctoritatis cum scriptis legibus Apostolorum, ut fuse demonstrat Bellarminus de Verbo Dei non scripto. Legatur de hac re S. Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. cap. 1. ubi reddit rationem, cur non fuerint scripta omnia concernentia Ordines sacros ab Apostolorum discipulis; sed contenti fuerint, ea per Traditionem scire, & docere; & illum refert Catumstyritus Italogræcus in Tractatu De Vera Utriusq. Eccles. Sacram. concord. pag. 15. num. 2. Idem nos etiam probavimus supra Decif. II. à num. 7. & seqq.

Quò ad Secundum. Affirmandum venit, Subdiaconatus Ordinem esse Sacramentum, juxta ea, quæ latè adduximus in Decif. VI. quibus inhærendo, probatur hæc assertio etiam sequentibus argumentis. Primò. Omnia Sacramenta sunt à Christo Domino instituta, ut definitum est à Concilio Florentino in Decreto Eugenii, & à Tridentino sess. 7. de Sacramentis cap. 1. ubi anathema infligitur, si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à JESU CHRISTO Domino nostro instituta. Sed idem Concilium Florentinum in eodem Decreto, loquens de Sacramento Ordinis, ait, illam ordinationem esse Sacramentum, quæ fit per traditionem materiæ cum debita forma: & post nominationem materiæ, & formæ Presbyteratus, & Diaconatus, ostendit materiam, & formam Subdiaconatus dicens eam dari per Calicis vacui cum patena superposita traditionem. Igitur, si omne Sacramentum est à Christo institutum, & illud est Ordinis Sacramentum, quod fit per traditionem materiæ cum forma; & ipse Subdiaconatus confertur in traditione Calicis vacui cum patena superposita ex definitione ejusdem Florentini Concilii; sequitur per necesse, quòd Subdiaconatus sit Sacramentum Ordinis à Christo Domino institutum. Secundò: Concilium Tridentinum sess. 23. de Sacram. Ord. can. 6. ita statuit: Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris: Anathema sit: Sed nomine Ministrorum Concilium intellexit Diaconos, ac Subdiaconos, cum reliquis gradibus quatuor Minorum Ordinum, quos expressè nominavit ead. sess. 23. cap. 2. Ergo Subdiaconatus, unà cum aliis gradibus, est Divina Ordinatione institutus. Ergo est Sacramentum. Tertiò: Determinatio una respiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare. I. Nam hoc jure, & l. Lucius, ff. de Vulg. & Pupillar. Substit. Barbosa Axiom. 69. num. 6. & ibi DD. Sed Concilium Florentinum docens illas Ordinationes esse Sacramentum,

tum. quæ fiunt cum debita materia, & forma, exemplificat uno, & eodem contextu de Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu. Ergo vel nullus horum trium Ordinum est Sacramentum, (quod est absurdum intolerabile dictu) vel eodem modo Subdiaconatus est Sacramentum, quo & Diaconatus, & Presbyteratus. Ita Eminent. Cardin. Lauræa d. disp. 6. de Sacram. Ordin. num. 7. & 8. & ante illum Gonetius tom. 5. eod. tract. 7. disp. 1. §. 1. & 2. Brognolus in Specul. Cleric. tract. 16. cap. 2. resol. 5. Cotonius lib. 3. Controv. 1. num. 18. & 19, & alii DD. quos allegavimus supra in cit. Decif. 6.

Ex his deducere licet, cavendum esse à doctrina tum Casparis Invenini, tum Joannis Morini, amborum Oratorii Gallicani Presbyterorum; quorum primus in suis Comment. Histor. Dogmat. tom. 2. de Sacram. Ordin. differt. 9. q. 6. cap. 3. asserit, Christum non esse auctorem Subdiaconatus, qui originem suam debet Ecclesiarum Præpositis, à quibus institutus est labente priore seculo: Secundus autem de Sacris Ordinibus part. 3. Exercit. 12. cap. 1. num. 1. dicit, quod Subdiaconatus ab Ecclesia in auxilium Diaconorum, ut & minores Ordines, est institutus: Siquidem hæc ita libera assertiones, etsi olim à nonnullis antiquorum Theologorum prolata fuerint, nunc sunt evidenter oppositæ determinationi, ac doctrinæ Conciliorum Florentini, ac Tridentini, & per consequens, (ut observat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 6. num. 8.) ingerunt hæresis suspicionem; quia licet in Sacris litteris non legamus expresse, Subdiaconatus Ordinem esse Sacramentum à Christo Domino institutum, hoc est sufficienter declaratum in iisdem Conciliis Florentino, ac Tridentino; quæ sunt Concilia Generalia per Papam approbata; est autem, apud Catholicos Axioma inconcussum, quod

21 auctoritas Conciliorum generalium eadem est sicut auctoritas Evangelii, prout habetur in cap. Sicut Sancti Evangelii 15. dist. & ideo sunt veneranda, ac eorum diffinitiones absque alteratione amplectendæ, cap. Majores 24. q. 1. cap. 1. & cap. Violatores, 25. q. 1. l. Nemo. C. De Summ. Trinit. & fid. Cathol. Barbosa in cap. Canones ead. dist. 15. ubi n. 13. DD. cumulat.

Sed præter Conciliorum auctoritatem, evidenter demonstrantium Subdiaconatus Ordinem, prout alios sex, à Christo Domino esse institutum, duæ habentur urgentissimæ rationes id ipsum suadentes, quæ ab Angelico Doctore prudentissimè examinantur. Prima ratio est: qui asserunt, solum Sacerdotii & Diaconatus Ordinem institutum esse à Christo Domino, faciunt ejus incretam, & Divinam Sapientiam valdè mancā, & deficientem, dum in Ecclesia sua, quam effusione totius pretiosissimi Sanguinis sibi desponsaverat, tam angustum ministrorum numerum, pro Sacris Mysteriis exercendis, reliquerit, qui in Lege Moysæ, quæ erat umbra, ac figura Ecclesiæ, Salomonem docuerit, amplissimum ministrorum numerum in Templi, ac sui ipsius servitio deputare, ut latè differit Aleuinus in lib. de Divin. Offic. ostendens omnes gradus Sacramenti Ordinis fuisse tanquam in figura exercitos à Levitis in Lege Hebraica. Hinc S. Thomas in 3. p. q. 37. art. 1. circa hanc rationem ita scribit: *Ordinum multitudo est induta in Ecclesia propter tria. Primo quidem*

propter Dei Sapientiam commendandam, quæ 23 in distinctione rerum ordinata maxime relictet, tam in naturalibus, quam in spiritualibus: quod significatur in hoc, quod Regina Sabba videns Ordinem ministrantium Salomoni, non habebat ultra Spiritum, deficiens in admiratione Sapientie illius, Secundo ad subveniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quæ ad divina Mysteria pertinebant, expleri sine magno gravamine; & ideo distinguuntur Ordines diversæ ad diversa officia. Tertiò ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit. Idcirco est quædam detractio Divinæ Sapientie incarnatæ; asserere duorum tantum Ordinum existentiam ab ea provenire dum ob ejus laudem & ob temporalem, ac spiritualement hominum profectum, plures Ordinum, ac Ministrorum gradus oportebat deputare.

Altera ratio est, quæ desumitur ab excellentia Sacramenti Eucharistiæ, in cujus obsequium omnes septem gradus Ordinum fuerunt à Christo Domino instituti, tanquam necessarii ad eam dignè perficiendam, ac pertractandam. Nam, ut fusius loquitur idem Angelicus Doctor d. part. 3. q. 37. art. 2. tot Ordines Christus Dominus instituere debebat in Ecclesia, quot sunt specialia ministeria, exercenda circa illud, quod omnium est Augustissimum in ea, nimirum Eucharistiæ Sacramentum. Porro ad hoc conficiendum, & consecrandum opus erat Presbyteratus Ordine. Ad ejus materiam proximè Sacerdoti tradendam, & post consecrationem populo dandam, necessarius fuit Ordo Diaconatus; ad eam verò parandam in Vasis Sacris Ordo Subdiaconatus; & in Vasis non Sacris Ordo Acolythatus. Et quoniam plures fidelium solent à dæmone impediri, ne Eucharistiam suscipiant, oportebat esse Ordinem Exorcistatus, qui potestatem daret ordinato expellendi dæmones. At eosdem fideles conveniebat etiam instruere, ac docere, ut dignè accederent ad Eucharistiam recipiendam; & ad hanc instructionem præstandam institutus est Ordo Lectoratus; tandem necesse erat advertere, ne infideles, aut indigni accederent ad Mensam Sacram, & munus hoc datum fuit Ordini Ostiariatus. Has omnes functiones circa pignus æternæ gloriæ, Sacratissimum scilicet Corpus, & Sanguinem suum, quod Christus jam dederat Ecclesiæ, aut ignorasse, aut non cogitasse esse necessarias, & pro illis exercendis non esse deputandos Ministros, gratia, & caractere ex divina ordinatione institutos, impium esset asserere: nam Christus Dominus post resurrectionem suam, ut habetur in Act. Apost. cap. 1. Vers. 3. Præbuit se ipsum vivum, (Apostolis, ac discipulis) per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei: id est de Ecclesia sua, ut bene advertit ibidem Tiranus, ita scribens: *Tunc enim docuit illos Christus 25 quomodo Ecclesiam formarent, regerent, perficerent. Docuit Ordines omnes, gradus, & status varios tam Ecclesiasticos, quam Laicos. Docuit materias, formas, ritusque singulorum Sacramentorum, & Ordinum, aliasque Traditiones, quas ab Apostolis acceptas*

acceptas Ecclesia, tanquam certissimum, nobilissimumque thesaurum, omni studio hucusque conservavit. Verba sanè aurea, memoriæ, & cordi pii Lectoris indelebiter imprimenda. Consimilia, & ejusdem sensus ponit Cornelius à Lapide eod. cap. 1. Vers. 3.

Quò ad Tertium: hoc quæsitum duo continet. 1. Quando Ordo Subdiaconatus cœperit vocari Ordo Sacer? 2. Quando cœperit reputari inter ordines majores; idè duplici responsione resolvendum est. Si prima responsio. Ex doctrina S. Thomæ in 3. p. qu. 37. artic. 3. Ordo dicitur Sacer dupliciter. Uno modo secundum se, & sic quilibet Ordo est Sacer, ea ratione quia quilibet Ordo est Sacramentum, ut supra probatum fuit Decif. VI. & per consequens Sacer est Ordo Subdiaconatus, tanquam Sacramentum habens suam institutionem à Christo, ut mox demonstravimus numer. 17. & seqq. Alio modo Ordo vocatur Sacer ratione materiæ consecratæ, circa quam habet aliquod ministerium, vel actum; & sic Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus dicuntur Ordines Sacri; primi duo, quia pertractant Sacratissimum Corpus, & Sanguinem Domini; Presbyter in consecrando, & Sacrificando; Diaconus in deferendo, & populis ministrando; tertius verò, nempe Subdiaconatus, quia agit, & contrectat vasa Sacra, in quibus Corpus, & Sanguis Domini reponitur. Igitur Ordo Subdiaconatus semper, & omni tempore fuit Ordo Sacer; & talis appellatus fuit, videlicet, quia est institutus à Christo Domino, & habet quidditatem Sacramenti, & quia ejus officium est pertractare res Sacras, idè consecrata vasa pro Sacrificio Missæ. Tertia causa addenda est, ob quam Subdiaconatus Ordo inter Sacros fuit semper numeratus; nempe quia ab initio Ecclesiæ eidem injecta fuit lex continentiæ, & inhabilitas ad matrimonium contrahendum, de qua quidem lege constat in can. 25. aliis 27. Apostolorum in Concilio Eliberitano I. can. 33. celebrato Anno 305. in cap. Omnium, 32. diff. quod est S. Leonis Papæ, qui fuit electus Pontifex Anno 440. in cap. Multorum, & cap. Subdiaconis, ead. diff. 32. & sunt S. Gregorii Magni de Anno 590. & ex innumeris Conciliis, ac Pontificum Decretis successivis temporibus emanatis circa continentiam Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ac Subdiaconorum; de quibus Emin. Card. de Lauræa in suo Epitome Canonum, Verbo Clerici in Sacris, an possint ducere Uxores. Et in Verbo Ordinatorum in Sacris obligationes circa conjugēs. Igitur has ob omnes causas semper, etiam in primis Ecclesiæ Sæculis, Subdiaconatus Ordo vocatus fuit Ordo Sacer, & inter Sacros reperitur annumeratus, ut videre est in cap. De iis 28. diff. in cap. Erubescant, & in cap. Nemo diff. 32. & aliis multis.

Ceterum huic antiquæ denominationi, quam adscribimus Subdiaconatui de Ordine Sacro, ob stare videntur verba Innocentii Tertii in cap. A multis, De etate, & qualitat. ubi loquens de eligendis in Episcopos refert, Urbanum Papam Secundum dixisse, Sacros Ordines esse Diaconatum, & Presbyteratum, quos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse. Ergo olim Subdiaconatus non computabatur inter Sacros Ordines. Respondetur, falsam esse consequentiam, attentis iuribus supracita-

tis, in quibus S. Leo Papa, S. Gregorius Magnus, & ipsemet Urbanus Secundus expressè vocant Subdiaconatum Ordinem Sacrum. Ad illa autem verba, quæ refert Innocentius Tertius in cit. cap. A multis; dicendum est, ea loqui de qualitate Ordinis Sacri requisita in illis, qui olim promovendi erant ad Episcopatum; quæ quidem qualitas restricta erat ad solos Ordines Presbyteratus, & Diaconatus; qui enim non erant vel Presbyteri, vel saltem Diaconi, eligi non poterant ad Episcopalem dignitatem; ab ipso autem Urbano II. concessum fuit, ut etiam Subdiaconi possent eligi ad Episcopatum, sed de licentia Metropolitani, vel Papæ cap. ult. 60. diff. Deinde ab Innocentio Tertio extensa fuit dicta concessio absque alia licentia. Igitur Subdiaconatus non erat Sacer habita relatione ad habitudinem pro eligendo in Episcopum, sed erat Sacer respectu sui ipsius tanquam Sacramenti, & respectu contrectationis Sacrorum vasorum, & respectu legis continentiæ sibi incumbens. Hoc testatur expressè idem Innocentius Tertius in cap. Miramur, de Servis non Ordin. ubi citat constitutionem S. Gregorii Papæ, scilicet ejus decreta, quod nemo promoveatur ad Sacrum Subdiaconatus ordinem, nisi promittat servare castitatem; quæ leguntur in cap. Nullum 28. diff. & in cap. Ante triennium, diff. 31. Et hæc interpretatio prædicti textus in cap. A multis, De etate, & Qualit. ponitur ab Emin. Card. de Lauræa in cit. disp. 6. de Sacram. Ord. num. 14. & num. 43. non absque confusione nonnullorum Canonistarum, quos non pudet asserere, Ordinem Subdiaconatus inter Sacros collocatum fuisse tempore Urbani II. qui fuit factus Papa Anno 1088. nihilominus reperimus tempore S. Gregorii Magni, & etiam ante hunc Sanctum Pontificem, eundem Subdiaconatus Ordinem Sacrum fuisse nominatum.

Ex his resultat altera responsio ad secundam partem Quæstii, videlicet, quando ipsemet Subdiaconatus Ordo cœperit inter majores Ordines reputari? Nam post concessam ab Urbano II. & ab Innocentio III. huic Ordini passivam electionem ad Episcopalem dignitatem, cœpit haberi unus ex Ordinibus majoribus; & subindè hæc duo nomina Sacer, & Major synonyma facta sunt; adeò ut ab illo tempore idem sit dicere Ordinem Sacrum, ac Ordinem majorem; & appellatione majorum Ordinum veniant omnes tres Ordines Sacri, Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus; ad differentiam aliorum quatuor inferiorum Ordinum; qui proprio nomine dicuntur Minores, ut eos sæpè appellat Concilium Tridentinum Sess. 23. de Sacram. Ord. cap. 2. & can. 2. ac in eadem Sess. 23. de refor. cap. 5. & 6. & notat Gobatus de Ord. tract. 8. num. 12.

Ultimò; adhuc aliquis impugnabit hucusque dicta, obijciendo, quod si Subdiaconatus Ordo antiquitus fuisset ex majoribus, & Sacris, non potuisset conferri à Chorepiscopis, qui erant simplices Episcoporum Vicarii, non autem Episcopi cap. Chorepiscopi, 68. diff. Sed Chorepiscopi ordinabant Subdiaconos, ut ex Concilio Antiocheno can. 10. ibi: Ordinent Lectores, Subdiaconos, & Exorcistas. Ergo Subdiaconatus Ordo non erat Sacer Ulterius si Subdiaconi fuissent constituti in Ordine Sacro,

Sacro, potuissent ingredi Secretarium, quod Græci vocant *Diaconion*, & tangere vasa Sacra. Sed id erat eis prohibitum, *cap. Non oportet*, 26. 23. *dist.* Ergo Subdiaconatus non erat Ordo Sacre. Respondetur ad primum, quod duo erant genera Chorepiscopum, ut plenè docuimus supra *Decif. XIV.* aliterant Episcopi, alii non. Illi ordinabant Subdiaconos, prout etiam Diaconos, & Presbyteros, sed de licentia Ordinariorum. Isti autem minimè ordinabant Subdiaconos, sed tantum quatuor minores conferebant, prout nunc faciunt Abbates. Eminent. Card. de Lauræa in Epitome Canonum. *Verb. Chorepiscopi Vers. 6. & de Sacram. Ord. dist. disp. 6. num. 16. & 17.* Ad secundum respondetur, Sacra duo fuisse apud antiquos, Unum, in quo suppellex Ecclesiastica servabatur; & aliud, in quo recondita servabatur Sanctissima Eucharistia. In primum intrabant Subdiaconi, non autem in secundum. Item Vasa sacra, vel continebant Corpus, & Sanguinem Domini; & hæc non tangebantur, nisi à Presbyteris, vel Diaconis; vel vacua erant, consummato jam Sacramento, & hæc absque difficultate tangere, & deferre poterant Subdiaconi, etsi sacra forent, *cap. penult. ead. dist. 23.* Cabassarius ad Concil. Laodicen. sub Damaso *Seculo IV. Can. 21. num. 12. pag. 154.* Gonzalez in *Comment. ad dist. cap. A multis, de Etate, & Qualit. numer. 6. tom. 1.* Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dist. disp. 6. num. 18.* citans *cap. 1. dist. 24.* id expresse innuens. Novissimè Jo: Morinus in elaborato suo opere de *Sacris Ordin. part. 3. Exercit. 12. cap. 2. num. 7.* qui hanc eandem distinctionem docentes Balsamonem, & Zonaram allegat; addens ex sententia ejusdem Zonaræ, censeri prohibitos Subdiaconos tangere, ac deferre Vasa sacra apud Græcos, dum tempore sacrificii ea deferuntur cum pane, & vino consecrando ad Altare. Si quidem (ait) solent Græci magna cum pompa deferre sacra Symbola à sacra propositionis Mensa ad divinum Altare, ut sacrificentur. Diaconus enim, præcedentibus Lampadibus, & subsequentibus Clericis, super humeros sanctum Panem deferit, Sacerdos verò Calicem manibus; & hoc apparatu, gyro per Ecclesiam facto, omnibusque interim ante sancta Symbola procumbentibus, ad Altare accedunt Sacerdos, & Diaconus, eaque super Altare reponunt; & idcirco in hac delatione nullam Subdiaconi sacrorum Vasorum contrectationem habent.

Tandem ex eodem Morino notare licet, ad 34 huc apud Græcos Subdiaconatus Ordinem reputari inter minores, etsi iisdem castitas imperata sit, & contrectandi Vasa sacra data licentia: hac de causa ordinantur extra Sanctuarium, ad differentiam Sacrarum Ordinationum, quas intra Sanctuarium faciunt, videlicet cum ordinant Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Ita Morinus *d. p. 3. Exercit. 11. cap. 6. n. 1.* nec non *Exercit. 12. cap. 5. num. 9.*

DECISIO XXII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, Quænam sit Materia, & Forma Ordinationis Subdiaconorum? Recensentur quinque diversæ opinio-

nes, & fundamenta, quibus unaquæque earum innititur. Firmantur duæ Resolutiones, una certa, alia disputabilis circa eandem Materiam, & Formam Subdiaconatus, Eruditiores plures circa Vestes Sacras, Manipulum, & Librum Epistolarum. Et an Calix cum Patena tangendus à Subdiacono in ordinatione, debeat esse consecratus?

SUMMARIUM.

- 1 Subdiaconatus circa materiam, & formam opiniones quinque.
- 2 Calicis vacui, ac patenæ traditio materia est Subdiaconatus.
- 3 Rituales antiqui XIV. de modo conferendi Ordines.
- 4 Forma, qua traditur Calix, & patenæ Subdiaconis ordinandis.
- 5 Materia Ordinum quomodo cognoscatur.
- 6 Albertus Magnus factus Episcopus Ratisbonensis Anno 1265.
- 7 Durandus Episcopus Avinionensis Anno 1320.
- 8 Petrus Paludanus Patriarcha Hierosolymitanus Anno 1330.
- 9 S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus Anno 1459.
- 10 Urceoli cum aqua, ac manutergii traditio materia Subdiaconatus.
- 11 Lotio manuum celebrantis, & corporalium necessaria sub pœna peccati.
- 12 Purificationem in Missa solemnè Celebrans recipit à Subdiacono.
- 13 Vestes Sacre, quas dat Episcopus Subdiacono, an sint materia Ordinis?
- 14 Vestes Sacre cur adhibeantur in Missa?
- 15 Sine illis celebrare mortale peccatum est.
- 16 Vestium Sacrarum usus introductus ab Apostolis.
- 17 Vestibus Sacris quando cœperint uti Subdiaconi.
- 18 Manipulus an sit materia Subdiaconatus?
- 19 Irregularis sit, qui non Subdiaconus cantat Epistolam cum manipulo.
- 20 Manipulus olim quid esset? Quando usus ejus in Missa?
- 21 Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus loco est subrogatum.
- 22 Libri Epistolarum traditio an sit materia Subdiaconatus?
- 23 Forma ordinationum an imperativis verbis proferenda?
- 24 Liber Epistolarum non datur Subdiacono per Annos 1200.
- 25 Epistola olim non à Subdiacono, sed à Lectore cantabatur.
- 26 Calicis vacui, ac patenæ traditio est vera Materia Subdiaconatus.
- 27 Materia Subdiaconatus dubia, ac disputabilis: alia res, qua traduntur tangenda Subdiacono.